



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Epist. XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](#)

vagis cogitationibus agitata mens, tandem resistat, & certa sit: ut placeat sibi, & intellectis veris bonis, quae simul intellecta sunt, possidentur, & tatis adiectione non egeat. Ille demum necessitates supergressus est, & exauktoratus ac liber, qui viuit vitâ peractâ.

## EPIST. XXXIII.

NEGAT sententias aut chrias è Stoicis excerptandas. Primum, quia omnia plena talibus & densa sunt: deinde quia turpe, cum auctore semper loqui. Nostra faciamus, & vita preferamus.

**D**E SIDERAS his quoque epistolis, <sup>1</sup> sicut prioribus, adscribi aliquas voces <sup>2</sup> nostrorum procerum. Non fuerunt circa flosculos occupati: totus contextus illorum virilis est, inæqualitatem scias esse, ubi quæ eminent, notabilia sunt. Non est admirationi una arbor, ubi in eamdem altitudinem tota silua surrexit. Eiusmodi vocibus referta sunt carmina, refertæ historiae. Itaque nolo Epicuri illas esse existimes: publicæ sunt, & maximè nostra. Sed in illo magis annotantur, quia rarae interueniunt, quia <sup>3</sup> insperatae, quia mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiam professo. Ita enim plerique iudicant. apud me vero Epicurus est & fortis, licet <sup>4</sup> manuleatus sit. Fortitudo, & industria, & ad bellum prompta mens, <sup>5</sup> tam in Persas quam in <sup>6</sup> altè cinctos cadit. Non est ergo quod exigas <sup>7</sup> excerpta, & repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerptitur. Non habemus itaque <sup>8</sup> ista odorifera, nec emporum decipimus, nihil inuenturum cum intrauerit, præter illa quæ in fronte suspensa sunt. Ipsi permittimus, unde velint sumere exemplar. Puta nos velle singulare sententias ex turbâ separare: cui illas adsignabimus? Zenoni, an Cleanthi, an Chrysippo, an Panætio, an Posidonio? Non sumus sub rege: sibi quisque se vindicat. apud istos quidquid dicit <sup>9</sup> Hermachus, quidquid <sup>10</sup> Metrodorus, <sup>11</sup> ad unum refertur. Omnia quæ quisquam in illo

4. SIMVL INTELLECTA SVNT.] Nam in indicio & habitu optime Mensis est Beatitudo: qui momento contingit, purgata & perfecta Ratione. Vide aliquid eadem Differi. 111. in fine

EPIST. XXXIII. I. SICVT PRIORIBVS.] Ergo abiunctæ sunt, & disparates <sup>1</sup> apparet: & velut ex intervallo scriptas, aut libris potius diuisas. Dixi in Prologo.

2. NOSTRORVM PROCRVM.] Stoicorum, sicut ante à Epicuri ferè.

3. INSPERATÆ.] Veteres, inspectæ, aut inspectatae. Legerem, inaspectatae.

4. MANVLEATVS SIT.] Notum tunicas chlorodas, siue manicas, mulierum aut mollium fuisse. Vir brachis nudis incedebant. Virgilius itaq. obicit. Ettunicae manicas, & habent redimicula mitras.

Agellius lib. VII. cap. XII. vide. Simile in De Vita beat. cap. XIII. Hoc est tale, quale vir fortis stola induit. Tale vel asperius de Epicuro & affectu, Arcepsilas, qui interrogatus, Cur ex aliis sectis ad Epicuream transirent multi, nemo ex illis ad alias? Nam, inquit, ex viris Galli sunt (eurati) ex Gallicis viri numquam.

5. TAM IN PERSAS.] Qui fluxæ & solitariae ueste: sed idem militares. Ammianus XXIII. Adeò autem dissoluti sunt, & artuum laxitate, vagoque incessu iactantes se, ut effeminateos exultimes, cum sint acerrimi bellatores.

6. ALTE CINCTOS.] Quod militum Romæ, item strenuorum aut actiuorum erat. Virum que habitum Horatius tangit:

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui Ingenu ad obscurum subductis vñq. factus. Alibi noster, de Mecenate: Putes altè cinctum dixisse.

7. EXCERPTA ET REPETITA.] Intelligime. Repetita, laudabilia & que solent lectione iterari, an quia etiam inter legendum ad ea dici solet, Repte. Hoc puto: est Repetita, quasi diuisa & in locos suos partita, possis legere.

8. ISTA ODORIFERA.] Licebat, & decebat, in textu ponì vocem libris aliquot assertam, ocularis, siue oclisteria: nam veritas ita est, & sententia potius. Non habemus nos, inquit, ut in tabernac, exposita quedam cum itinere, aut per se splendens, que oculis feriunt, & transentes ad emendum allidunt: non habemus: sed pariter ubique decor & bonitas est. Vox autem apie facta, quia talibus, vñq. loquitur (epist. LXXXVIII.) imperitorum feruntur oculi: iterumq. alibi: Splendore imperitorum verberant oculos.

9. HERMACHVS.] Successor Epicuri in scholâ.

10. METRODORVS.] Inter nobiles eiusdem amicos & discipulos.

11. AD VNUM.] Epicurum.

12. DVM.

A in illo contubernio locutus est, vnius ductu & auspiciis dicta sunt. Non possumus, inquam, licet tenteimus, ex tantâ rerum æqualium copiâ, aliquid educere.

*Pauperis est numerare pecus.*

Quocumque miseris oculum, id tibi occurrit quod eminere posset, nisi inter paria legetur. Quare depone istam speciem, posse te summatum degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta sui ingenij opus necatur, ex quo nihil subduci sine ruinâ potest. Nec recuso, quo minus singula membra, <sup>12</sup> dummodo in ipso homine, consideres. Non est formosa, cuius crux laudatur aut brachium, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit. Si tamen exegeris, non tam mendicè tecum agam: sed plenâ manu fiet. Ingens eorum turba est passim iacentium: sumenda erunt, non colligenda. Non enim exidunt, sed fluant perpetua, & inter se connexa sunt. Nec dubito, quin multum confertant rudibus adhuc, & <sup>13</sup> extrinsecus auscultantibus. Facilius enim singula infidunt circumscripta, & carminis modo inclusa. Ideò pueris & sententias ediscendas damus, & has quas Græci <sup>14</sup> Chrias vocant: quia complecti eas puerilis animus potest: quia plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare flosculos turpe est, & fulcire se notissimis & paucissimis vocibus, & memoriam stare. Sibi iam innitatur, dicat ista, non teneat. Turpe est enim seni aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit. tu quid? Hoc Cleanthes. tu quid? quousque <sup>15</sup> sub alio moueris? & impera, & dic, quod memoriae tradatur: aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos numquam auætores, semper interpres, sub alienâ vmbra latentes, nihil puto habere generosi, numquam ausos aliquando facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse: aliud, scire. Meminisse, est rem commissam memoriae custodire. At contrà scire, est & sua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, <sup>16</sup> hoc Cleanthes. Aliquid intersit inter te, & librum. quousque disces? iam & præcipe. Quid est, quare audiam, quod legere possum?

B Multum, inquit, viua vox facit. non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & <sup>17</sup> actuarij vice fungitur. Adiace nunc, quod isti qui <sup>18</sup> numquam tutela sua sunt, pri- mūn in eâ re sequuntur priores, in quâ nemo non à priore descivit: deinde in eâ re se- quuntur, quæ adhuc queruntur. numquam autem inuenientur, si contenti fuerimus in- uentis. Præterea qui alium sequitur, nihil inuenit, imò nec querit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego verò utrākum veteri: sed si propriem planiorēmque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illâ etiâ futuris relictum est.

**12. DVM MODO IN IPSO.]** Putarem, quo-  
modo.

**13. EXTRINSECVS AVSCVLANTIBVS.]** Qui  
ad penetralia nondum admisi: allusumq; ad libros &  
audidores ~~et~~ ut regulex.

**14. CHRIAS VOCANT.]** Concinna aliqua Dicta,  
D aut Faſta. Ut Crates dixit, Caeus cum homine  
malo loquare. Faſta, ut: Crates cùm indoctum  
puctum vidisset, pedagogum eius percussit. Vide  
Fabium lib. I. cap. XV.

**15. SVB ALIO MOVERIS?] A**lieno nutu iuſſu-  
que regeris?

**16. HOC CLEANTHES.]** Proſsus his gemina  
Epictetus apud Arrian. lib. II. Diſſert. XIX. Diodo-  
rus illa dixit, & Cleanthes, & Chryſippus: tu ve-  
rò quid? Non in eo elaborasti, ut Decretum ali-  
quod tuum faceres: atque ita nihil à Grammati-

co differs. Quis fuit Hectoris pater? Priamus. Qui fratres? Alexander, & Deiphobus. Quæ ma-  
ter? Hecuba. Historiam hanc accepi: à quo ab Homero. Similis tu, qui coniuas, cùm vaniſſi-  
mus sis, enumerandis ſcriptoribus, attonitos red-  
dis. Deinde etiam addit: Age, Stoicum aliquis mihi ostendat, si habetis. Vbi is est? Nam qui Stoicos ſermunculos ediferat, mille dabitis: ſed volo Stoicum. Quis ergo is est? ut Phidiacam ſtatuum  
dicimus, ad artem Phidias exactè faſtam: ita il-  
lum mihi ostendite, ad ea quæ profitemini do-  
gmata expreſſum.

**17. ACTVARII VICE.]** Ita dicuntur, qui Acta  
excipiunt & ſcribunt. Vide me ad Annalem Taciti v.  
ſi libet.

**18. NVMOVAM TVTELÆ SVÆ.]** Alieni ſem-  
per arbitrij, ut pupilli.